

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
DISTINCTIS ET CONFLUENTIBUS VARIOLIS.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER. OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*

FRANCISCI FABRICII,  
THEOL. DOCT. HUIUSQUE, NEC NON  
ACADEMIAE SACRAE, IN ACAD. LUGD. BAT.  
PROFESSORIS ORDINARII, UT ET EC-  
CLESIAE IBIDEM PASTORIS;

NEC NON

*Illustissimi SENATUS ACADEMICI Consensu,  
& Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis  
rite ac legitime consequendis,

*Eruditorum Examini submittit.*

FRANCISCUS CLIFTON, Anglo-Brittannus.

*Ad diem 28. Septemb. 1724. hora locoque solitis.*

---

*si propius stes  
Te capiet magis . . . Horat. de Art. Poët.*

---

LUGDUNI BATAVORUM,  
HENRICUM MULHOVIUM, 1724.

DISCIPULI  
DE

# LIBRUS VARIORUM

DE

INVENTIS

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

DOCTISSIMO AMICISSIMOQUE  
VIRO

GULIELMO MACE,  
FRANCISCUS CLIFTON.

S. P. D.

**C**ùm, aliquot abhinc Annis, tanta fuit inter Nos Consuetudo, tanta Opiniorum, in illa saltem Philosophiæ Parte quæ Medicinam spectat, Conjunctio, cuius, quæso, Primitias hæc meas vel æquo Jure vel æqua Libertate, ac Tibi, Domine, dicare queam? Quanquam enim multis Viris & Eruditione summa & Honoribus, claris, quod probe nosciscis, multum debeam; Tibi certe plurimum debeo, ex tuis Literis, tuis Observationibus, tuis denique Doctrinis, in Rebus Philosophicis, melius instructus, quam ex omnibus aliis, cum Amicis doctis, tum etiam eruditis Scriptis. Hæc equidem quò sæpius in Animo volvo, eò intensius Grates persolvere dignas afflagito. Omnia autem hujusmodi, quæ magna Lubentia, magno sane Ardore, salva interim (prout semper debet) Veritate, subjungere

gere possem, egregia tua Modestia palam d  
cere omnino vetat. Dum enim Animo & Op  
bus ad Gloriam sibi conciliandam, suisque Ne  
potibus Honores splendidos incumbunt ali  
aliique inhiant; Tibi, contra, Sorte tua co  
tento, severa sed honesta Veritatis Indagatio  
ejusque repertæ ingenua inter Amicos tu  
Communicatio (& Oh! quam religiosissim  
vellem, cum Pace tua, Amice, omnibus ali  
eandem esse Felicitatem) maximo sunt Stud  
Cordique semper; & in his profectò totus es  
indefessus. Perge, precor, Clarissime Vir,  
Votis nostris & aliorum fave; & pro publico  
Commodo, Te, Deus, incolumem faxit. In Pra  
sencia autem, hanc Dissertationem, ea, quâ sen  
per polles, Humanitate accipere placeas; Opu  
culum sane, minimè Gentium tua Cura, mu  
to minus Patrocinio, dignum; nisi fortè ho  
unicum excipere velis; nempe quod, utcu  
que rude incultumve sit, inviolabile Pign  
summæ pro Te Reverentiæ secum adfert, nu  
lis Artibus, nullo Temporis Spatio, nullis d  
nique Fortunæ Vicibus, eradendæ, fido. Val

Dabam Lugd. Batav.

VIII. Calend. Octob.

A. S. CIO DCCCXXIIII.

## DISSERTATIO MEDICA

## INAUGURALIS,

DE

DISTINCTIS ET CONFLUEN-  
TIBUS VARIOLIS.

§. I.

**P**lurima sunt apud Autores, de Ortu, Causis, Progressu, Signis & Cura Variolarum. Quoad ortum; cum inter nostram Victus Rationem & illorum multum interest; multum inter Cæli Tempestates; multum inter nostros morbos & suos; & denique multum inter Mechanicam nostram scientiam & suam; an Græcis primum an Ægyptiis potius cognitæ fuerint Variolæ, hodie puto parum refert: Quisquis enim Antiquitatis licet pulcherrime gnarus, præsentem morbi cujusvis statum ignorat, pingui certe Minerva ad Curationem accedet.

Omnes autem qui Controversiam hanc altius trutinatam videre vellent; iique etiam qui Antiquitatis Morbi Cognitionem Curam reddere posse faciliorem putant, clarissimum

A J.

J. Friend <sup>a</sup> consulant: Scripta enim eruditorum diligentissime legit, & opinionem eorum de hoc morbo cum usitata sua Elegantia accuratissime protulit.

De hisce vero ut & de Causis & Progressu, quomodocunque inter sese discrepant Auctores, de Signis & Cura melius sibi constant. Antequam autem ulla horum habeatur Ratio, pauca præmittere juvet, unde Methodus hujus Dissertationis melius elucescat.

## §. II.

Morbus est Physicus Effectus, sive status Corporis viventis, in quo exercendæ actionis cujuscunque tollitur Facultas<sup>b</sup>; ergo mutatio quædam in Corpore efficitur. Omnis autem mutatio fit per motum; & motus fit per Leges quasdam ab excellentissimo omnium Creatore datas. Ille vero utpote cui maxima fuit ad excogitandum Sapiencia & ad operandum Omnipotentia, quicquid egit, sapientissime egit; ergo Leges per quas Corpus alterum ab altero afficitur, optimæ sunt & ad Effectus suos producendos omnino aptæ; Effectus etiam per consequens utiles sunt, regulares, naturales & necessarii: Morbus igitur si Physicus Effectus est, nihil habet Legibus istis inconsistentis; ergo simplex est, regularis, & necessarius; eademque via, qua omnes alii Effectus per totum mundum, intelligendus.

Verumenimvero in Philosophicis Disquisitionibus Modus ille, per quem diversæ Rerum mutationes efficiuntur, accuratæ omnium Phænomenon<sup>ων</sup> Observationis, Comparationis & Mechanici ex eis Ratiocinii ope, luculentissime, si potis est, percipiatur; ergo in Arte Medica (quæ Philosophiæ nobilissima Pars est) quo magis ad diversa morbi stadia & Phænomena Corporis in sano morbidoque statu attendimus, eo clarior apparebit morbus, & quo clarior Morbus est, eo certior sæpenumero curandi Methodus.

Hinc liquet eos, qui ad accuratam morborum Συμπύρα-

<sup>a</sup>. v. Epistol. ejus de purgantibus in 2a variolarum Confluentium Febre adhibendis. <sup>b</sup>. v. Boerh. Institut, Art. 696.

τολογίαν delineandam, quique ad justum inde Ratiocinium, Principiis Mechanicis non Figmentis Cerebri insistentis penitus, deducendum, maxime sudarunt, de Republica Medica optime præ aliis meruisse.

Sed in hoc quem agimus morbo, eminent supra omnes (in Signis saltem enarrandis) apud veteres Rhazes <sup>c</sup>, & apud recentiores Sydenhamus: accuratissima igitur illorum Scripta & præprimis Sydenhami (Ille enim, cum Enarrationes omnium Rhazis usque a seculo ad illius Tempora Medicorum mancæ sint & imperfectæ, magna sane an medentium magis an ægrotantium Felicitate, hoc quicquid defuit, largiter supplevit, morbique diversa & stadia & Genera luculentius exposuit. Unus, quam alii omnes Gentium omnium atque ætatum Medici <sup>d</sup>) trutinare statuo; ut, quantum possim, eliciantur Causæ, propter quas tam multis Medicis, usque exercitatis, in Morbi hujus Tractatione tam infeliciter cessit: liquido enim constat ex eruditis suis Descriptionibus nec non ex quotidiana Experientia, nullum esse graviolem Morbum; nullum sane, in quo Medici vires magis deficient <sup>e</sup>.

### §. III.

Hæc autem dum eâ qua possum sedulitate differam, vestigia sua non tam presse, non tam religiose persequi libet (quod obiter moneo), quasi in Arte Medica ab aliis abhorrerere nefarium esse duxi; aut quasi Ars ipsa ita numeris omnibus absoluta esset, ut nihil emendari nihil adjici posset. In hac fui sententia dudum, nihil æque Literarum studiis & Disquisitionibus Philosophicis obeffe, ac nimiam erga alios Observantiam.

Hæc dico, non ut Labem in erudita scripta aliorum inferam: ea equidem, utpote quæ ad Salutem & Incrementum Reipublicæ Medicæ conscripta erant, optime colo approboque maxime. Cùm vero Corpus Humanum non nisi Machina curiosa est ex Fluidis & Solidis juxta Hydrostaticas

Mechanicasque Leges summa Arte fabricata; scripta illa, quatenus Legibus hisce minime constant, eatenus sæpe vaga sunt & delusoria; quatenus hisce consentanea, eatenus religiosissima Observantia digna sunt. Atque hinc utinam (cum clariss. viro Jodoco Lommio<sup>f</sup>) hodie quoque Consuetudo teneret, ut quemadmodum Plato ἀγεωμέτρητον ἢ ἄμυστον ab Auditorio suo eliminavit; sic etiam ἀφυσιολογήτω<sup>g</sup> omnis interdicator Accessus ad humanæ salutis Præsidem Artem.

#### §. IV.

Præmissis his relictisque aliis (quos istiusmodi speculationes melius juvant) de Ortū, Causis, & Progressu Variolarum Disquisitione, ad enarranda signa Methodumque medendi inde considerandum proxime accedo.

Ratio autem morborum descriptoria a clarissimo Bellino prius instituta, cum omnes alias propter simplicitatem suam & Utilitatem longe superat, observantiam meam in Præsentia conciliavit: Illius igitur insistens methodo, in variolis, dico sunt

#### Antecedentia.

Rigor & Horror; Calor admodum intensus, Oculorum Splendor; Capitis & Dorsi Dolor vehemens; Vomituritio; Inquietudo magna; in Adultis sed nunquam in Infantibus ingens in Sudores Propensio (unde minime confluxuras esse licet conjicere) Dolor sub Scrobiculo Cordis, Stupor etiam & somnolentia; atque in Infantibus Insultus Epileptici.

In Sanguine autem laxiori nonnunquam accidit, ut separationis Periodus sensim atque gradatim sine insigni aliqua ægritudine transigatur, priusquam Expulsio materiæ Pustularum Eruptione se prodatur.

Hæc in discretis; in confluentibus

Eadem symptomata sed atrociora; Febris sc. Anxietas, ægritudo, vomituritio &c. immanius sæviunt; nihilominus non ita prompte hinc in sudores dissolvitur æger ac in discretis.

f. v. Præfat. ad ejus in Celsum Commentarios, g. v. Sydenh. p. 96.



tis. Diarrhæa insuper nonnunquam Eruptionem præcedit, & ad Diem unum alterumve post illam protrahitur, quod quidem in discretis nunquam contingit.<sup>h</sup>

In utraque specie Febris a primo statim Insultu ad Eruptionem usque præcipue dominatur. ægrum urget nunc Phrenitis nunc Coma. Adolescentes porro & ætatis Flore vigentes (præcipue si vino aut alio quovis Liquore spirituofo se nimium impleverint) aliquando tentat Urina sanguinea, aliquando licet rarius sanguis e Pulmonibus ejicitur.<sup>i</sup>

### Conjuncta.

Pustularum Eruptio instar morsus pulicaris per Faciem primum, deinde per Collum, Pectus, & Corpus universum. Hæc plerumque accidit in discretis 4<sup>o</sup>. ab Invasionis Die, nonnunquam serius aliquanto, ante illum vero rarissime: in Confluentibus 3<sup>o</sup>. Die, ante illum aliquando, vix unquam, post illum, nisi ob atrocius aliquod symptoma, acutissimum sc. Dolorem &c.

Eruptionem sequitur in illis symptomatum antecedentium vel Remissio magna vel Evanescencia, Sudore interim remanente: \* in his autem Febris & alia symptomata ad multos usque Dies a Pustularum Eruptione ægrum discruciant.<sup>k</sup>

Urget deinde Faucium Dolor; Cutis Tensio, Calor, Inflammatio; in Adultis Salivatio, nonnunquam sub primæ Eruptionis Tempus, nonnunquam nisi postridie biduove præterlapso; in Infantibus aliquando Diarrhæa, quæ quocunque Tempore ingruit, nisi arte sistatur, singula Morbi stadia decurrit.<sup>l</sup>

Urget etiam Sitis magna; Dyspnæa; Anxietas; Jactatio Corporis ingens; Maculæ aliquando purpureæ, mortis fere semper prænunciæ<sup>m</sup>; in Morbo vehementiori sub vesperam Paroxysmus & symptomata graviora; aliquando etiam Urinæ suppressio; in Juvenibus præsertim, idque in statu vel

A 3

De-

h. v. p. 98.

i. 104.

\* p. 102.

k. p. 99.

l. 100, 101.

m. 104, 321.

Declinatione discreti Generis; Pustularum subsidentia, superveniente insuper Diarrhæa, unde ingens Discrimen & anceps Morbi Exitus; & aliquando denique aucta Cutis & Pustularum Inflammatio & Elevatio, quæ tandem spatio 4, 5 vel 6 Dierum, nonnunquam serius, in Suppurationem abeunt, & in totidem Ulcuscula mutantur.

#### Succedentia.

Fluxio Puris fætidæ & copiosæ per totum Corpus; Cutis siccitas & Crustatio; impedita Perspiratio; Alvus inconstans; Febris ardens, pessimæ Indolis & cum pessimis Symptomatibus<sup>n</sup>; magna Corporis Incontinentia; Phrenitides; Anginæ; Deliria; Dysenterix; Vomitus; Apostemata varia; Exesio Cutis; Ulcera Cacoethæ ad ossa sæpe penetrantia; Cancri; Cicatrices fædæ; visus Deprivatio; Convulsiones; Paralyfes; Phthises & Malorum Ilias.

#### §. V.

Hæc sunt ex præcipuis Phænomenis, quæ morbum hunc antecedunt, comitantur & subsequuntur: legantur alia apud accuratissimum Sydenhamum, quæ ad Indicationes deducendas non minime conferunt; de quibus in suo Loco.

#### §. VI.

Qualis sit hujus morbi Essentia sive Physica Causa plane nescio, nec unquam fortasse intelligere potero; ultimas enim Metaphysicas & primas Physicas Causas, Medico investigare & comprehendere posse perdifficile est, ne dicam impossibile prorsus<sup>o</sup>; nisi prius infinitam illam Sapientiam, quæ omnia omnibus dedit, comprehendere potuit.

Fermentum sanguinis, materiæ variolosæ Assimilationem & quicquid hujusmodi excogitarunt Autores, aliis mitto: mihi fateor sola placent Phænomena; hæc enim bene observata & inter sese comparata, Medicum bonum in morborum omnium Curatione juvabunt melius, ni maxime fallor, quam

<sup>n</sup>. v. Boerh. Aph. Art. 1400. Syden. Op. p. 518. & Rhazes de Pestilentia c. 4. <sup>o</sup>. v. Boerh. Instit. art. 28. & Sydenh. op. p. 353. 354.

quam omnes omnium Conjecturæ: Medicus enim (juxta clariss. Celsum) novum quoque Consilium petet, non ab Rebus latentibus (istæ enim dubiæ & incertæ sunt) sed ab his quæ explorari possunt, id est evidentibus Causis; addo etiam Effectis. Phænomena igitur in hoc morbo observabo, & ex eis solum, quantum possum, medendi methodum deducere conabor; propterea quod omne Ratiocinium utcunque elegans, utcunque Mechanicum, nisi huic Basi semper innititur, quo longius extenditur, eo certius decipit atque lædit. 9.

### Observatio I.

Imprimis notandum est, prima variolarum Phænomena, illa, quæ in omni Febre acuta sub Ingressum ejus occurrunt, quam maxime referunt: Rigor nempe & Horror, Calor intensus, Inquietudo magna, Dolores vagi & vehementes urgent &c.

### II.

In discretis, sed in Adultis solum, nunquam in Infantibus ingens est in Sudores Propensio: & in sanguine laxiori &c. vid. inter antecedentia

In Confluentibus, minor est in Sudores Propensio; sed graviora symptomata; & Diarrhæa nonnunquam Eruptionem præcedit, quod nunquam accidit in Discretis.

In utraque specie, Adolescentes porro &c. vid. inter Antec. & utraque Hæmorrhagia sub morbi Initium plerumque contingit, Pustulis nondum erumpentibus. 1.

### III.

Eruptionem sequitur in discretis symptomatum antecedentium vel Remissio magna vel Evanescencia, Sudore interim remanente; in Confluentibus vero Febris & alia symptomata ad multos usque Dies a Pustularum Eruptione ægrum discruciant.

In his Salivatio, in Adultis, nonnunquam sub primum Eru-

ruptionis Tempus, nonnunquam nisi postridie biduove præterlapso tentat; in Infantibus aliquando Diarrhæa; quorum prius fere semper accidit, & ad undecimum Diem manere solet, quo quidem Tempore ut plurimum sponte sua definit; posterius vero, nisi Arte sistatur, singula morbi stadia decurrit.

In illis ad 8. Diem Sudor manat copiosus; Alvus prorsus constipata est, vel saltem rarissime dejicit; cessante autem Sudore, urgent statim graviora symptomata, omnia quæ brevi post sæpenumero excipit inevitabilis Mors.<sup>s</sup>

In utrisque Pustulæ nonnunquam Fastigiis cedunt & de repente confidunt, superveniente insuper Diarrhæa, unde ægro (si Adultus sit) ingens Discrimen & anceps Morbi Exitus.

### III.

In Confluentibus maximè periclitantur ægri, & plerique etiam moriuntur undecimo ab Invasionis Die; in Discretis, octavo.

In utrisque instat post Crisim factam acuta Febris, juxta antecedentium Exanthematum Numerum, Methodumque medendi prægressam, aut mitior aut gravior; aliquando autem maxime ardens, pessimæ Indolis, & cum pessimis symptomatibus.

### §. VII.

Liquido constat, humanum Corpus, dum Vita Salusque manent, Materiem quandam per Poros ejus magna Copia emittere; nonnunquam sub Forma Halitus subtilissimi, nonnunquam sub sudoris &c. & hic sudor quo magis excercetur corpus, vel quo magis relaxatur superficies, eo copiosior fere semper effluit.

Proportionem, quam ad alia Corporis Excrementa, Alvi sc. Vesicæ &c. hæc habet Materies, præclara docent accuratissima Sanctorii<sup>u</sup> & J. Keill<sup>w</sup> Experimenta.

Ex

s. p. 102. t. p. 329. u. v. Sanctorius de Medicina Stat. Sect. 1. Aph. 6. &c. w. v. Keill. de Medicina Stat. Brittan. Aph. 6. 13. 18.

Ex illis liquet materiem hanc majorem ad Ingesta Corporis Proportionem habere, quam ulla alia Excrementa, Alvi sive, vesicæ, oris &c. ergo Conservatio ejus in naturali statu, nec non Excessus ejus Defectusve Corpus afficit proportionaliter magis, quam in ullis aliis Excrementis, Conservatio, Excessus, Defectusve.

§. VIII.

Si obstructio accidat (a quacunq[ue] Causa) in Canalibus Corporis, per quos sanguis circulans transire consuevit, Idem est ac si Canales omnes pervii sint, & Quantitas sanguinis Quantitati, quæ per Canales obstructos ante Impedimentum fluisset supponitur, æqualis, addatur reliquæ <sup>x</sup>. Sed, in aucta Quantitate augetur & Motus <sup>y</sup>.

In obstructione igitur Canaliū, sanguis (nisi per Hæmorrhagiam vel Venæsectionem vel aliter minuatur Quantitas) majori quam ante Obstructionem, qua data Porta, velocitate movebitur; & quo major velocitas, eo clariores Effectus alii, quos enumeravit Borellus <sup>z</sup>, aliique etiam mox fusius explicandi.

Si vero obstructio accidat ab impedita Perspiratione, omnes obstructionis Effectus citius & certius producentur; quos ut rite explicemus, non modo obstructio ipsa consideranda est, sed obstruentis etiam Materiei Qualitas.

§. IX.

Materies perspirabilis (per quam intelligo non modo Vaporem illum subtilissimum, qui ab ultimis (fortasse) Arterio-  
larum Fistulis in auras abit, & ad vitam animalis conservandam necessaria est <sup>a</sup>; nec illum etiam qui ex tota Corporis superficie plus minusve sub densioris & tenacioris Fluidi Forma prodire solet; quicquid vero per Cutis Poros transit, vapor tenuis, sudor blandus, an Materies illa unctuosissima sit, quam omnibus Partibus subcutaneæ Glandulæ tanta Copia  
B sup-

x. v. Cheynes new Theory of Fevers Lemma 1<sup>ta</sup>, & the Schol. y.  
v. Cheynes Theory &c. p. 48. z. v. Borelli de Mot. Anim. P.  
2. Pr. 35. a. v. Borelli ut supra P. 2. Pr. 188.

## DISSERTATIO MEDICA

suppeditant: hæc inquam partim tenuis & partim) viscida est & oleosa: & cum Attractio in omni Corpore, cæteris paribus, Particularum Soliditati proportionalis est, & Cohæsiio Corporum Contactus Quantitati respondet<sup>b</sup>; Particulæ ejus valide cohærebunt, tarde licet ad se invicem accedent.

Hujusmodi Particularum Motui (sc. specifica quarum Gravititas minima est) Fluida omnia (ex Hydrostatice patet) reniuntur maxime: ergo in Perspirationis obstructione, sanguis per vasa sua promovebitur ægrius<sup>c</sup>; sed quo magis in hac Parte retardatur, eo velocius in illa qua minor est Resistencia movebitur; & quo major velocitas, eo major per totum Corpus Calor (Calor autem quo magis intenditur, eo magis subtiliores sanguinis Particulæ evaporantur; unde residuus sanguis crassior fiet & minus habilis ad motum; ergo quo major velocitas, eo major) & siccitas<sup>d</sup>, & eo sæpius in Latera Arteriarum Impulsus. Corpus autem Elasticum & hujusmodi sunt Arteriæ) quo magis impingitur, eo fortius (dum integra manet Elasticitas) resilit; unde Particularum sanguinis Divisio, Calor magnus &c. Cum vero superficies Corporum decrescant semper in Ratione duplicata, soliditates autem in imminutæ Diametri triplicata, quo magis dividuntur Particulæ, eo minor erit illorum Gravititas; ergo per vasa tardius propellentur, sæpius occurrent, & fortius interfese cohærebunt; unde magnus in sanguine Lentor<sup>e</sup>; Dolores vagi & vehementes; Calor incertus, nunc in hac vel illa Parte juxta Obstructionis Gradum moderatus & nunc intolerabilis; quando enim vasa plurima obturantur, vel per aerem quendam Humorem valde stimulantur, in aliis summa erit velocitas; unde intensus Calor, Comminutio sanguinis, Hæmorrhagia frequens, mictus sanguineus<sup>f</sup> &c.

Hinc etiam Cephalalgia graves, Oculorum Inflammatio, delu-

b. v. Keill's Tentamina. Tentam. 4. c. v. Prop. 6. & 7. cum Coroll. in Wainewright's Nonnat. d. v. Boerh. Aph. §. 682.  
e. v. Boerh. Aphor. §. 1384. f. v. Boerh. Instit. §. 383.

delusoriae & incongruae Ideae, Secretiones perturbatae, Convulsiones & subsultus Tendinum, Debilitas ingens & tandem ipsa Mors.

Quo minor est Resistentia, eo major erit sanguinis velocitas; musculorum autem operationes cum Cursum sanguinis in multis Partibus opponunt plurimum, & cum in Cranio nostro desunt musculi, hic certe maxima erit velocitas: sed quo major velocitas, eo maior vasorum Distractio; unde Dolores magnis, Cephalalgiae graves, Secretio inaequalis & denique quid non.

Ad eundem modum afficientur Oculi: propter enim nimiam sanguinis Velocitatem distrahentur vasa, frequentes erunt & inusitati in Retinam Impulsus; unde maligna & incerta Visio, & per Consequens Ideae falsae & quae minime constant, vel quod idem est, Deliria magna.

Dum haec aguntur, sanguis, qua data Porta, semper fluet, nunc in hanc nunc in illam Partem & nunc in alias: in tanto igitur Discrimine Rerum, altera majorem quam alterae Partes habebunt Quantitatem; ergo magis distendentur; & nisi Antagonistae Partes aequaliter distendantur, (quod in tumultuaria Circulatione non semper accidit) convellentur valide; unde Rigor Partis, impedita Circulatio, & acutus Dolor.

Vires aegri si tanta mentis & Corporis Agitatio nondum exhausserit, subsequenter Deliquia & graviores Obstructiones; unde difficilis Respiratio, tarda sanguinis Circulatio, leve in Arterias Momentum, Debilitas magna, Relaxatio ingens; & tandem ad Plures Migratio.

## §. X.

Nonnullis hujus morbi Phaenomenis ex Effectis sanguinis Circulationis impeditae & praecipue impeditae Perspirationis explicatis, Operae fortasse Pretium sit, antequam ex praeditis Datis medendi Methodum deducere conor, alia Phaenomena diligentius observare: Quae ut rectius assequamur, no-

tandum est (quod supra memoravi \*) Sudorem, quo magis relaxatur superficies, eo copiosiore fere semper effluere.

Fluxus autem huiusmodi quo largior est, eo laxior red-detur Cutis; unde minor erit erupturis Pustulis Resistencia, & per Consequens minor Virium Prostratio. Quibus igitur Cutis vel naturaliter vel arte laxa est, eis certe tutior erit variolosus Morbus: sed Infantibus, Mulieribus & mollibus, quam exercitatis, Viris & Senibus, laxior est Cutis; ergo illis quam his certe tutior erit Morbus. <sup>h</sup>

Nec hoc equidem Ratiocinium ab Observationibus Sydenhami discrepat; sed contra, cum eis omnino convenit.

In Sanguine laxiori atque *εὐμεταβλήτῳ* nonnunquam accidere inquit, ut separationis Periodus sensim atque gradatim sine insigni aliqua ægritudine transigatur, priusquam Expulsio Materiæ Pustularum Eruptione se prodat. <sup>i</sup>

Et paulo post:

Natura sibi permessa Negotium suum suo Tempore exequitur, materiamque debito ordine ac via tum secernit, tum etiam expellit, ut (in Junioribus præsertim, vegetisque Temperamentis) nostra Ope, nostris Artificiis atque Auxiliis non indigeat, suis viribus optime instructa, suis Opibus locuples, suo denique Ingenio satis edocta. <sup>k</sup>

Natura autem si sibi permittatur, opus suum hoc modo absolvit, viz.

Symptomata in utraque specie sub primum morbi Ingressum eadem sunt; sed paulo post in discretis corripit ingens in Sudores Propensio, adeo ut in eos quasi dissolvitur æger; & hæc equidem per totum morbi Cursum, nisi fortè impediatur, durat<sup>l</sup>; unde magna Cutis Laxatio, libera sanguinis Circulatio (quæ tanti est in hoc Casu) facilisque Pustularum Eruptio. <sup>l</sup>

h. v. Boerh. Aphor. §. 1381,

i. v. Sydenh. Op. p. 96.

\* v. Sect. 7.

k. v. p. 107.

l. v. p. 96.



Hæc autem Adultos solum, nunquam Infantes urget vel ante Pustularum Eruptionem vel etiam post<sup>m</sup>: Cutis enim in illis longe tensior & durior est quam in his; ergo nisi copiose per Sudores aliosve modos relaxetur, Res sane in anticipiti esset; quod semper etiam in hoc Genere accidit, quandoque vel impeditur vel minuitur Perspiratio.

In Confluentibus minor est in sudores Propensio; sed Febris, Anxietas, ægritudo &c. immanius sæviunt; & ad multos usque Dies a Pustularum Eruptione ægrum discruciant: in discretis vero Eruptionem sequitur symptomatum antecedentium vel Remissio magna vel Evanescentia, sudore interim remanente.

Nonne hinc liquet magnum Cutis relaxatæ, & copiosæ per totum Corpus Perspirationis Emolumentum? Mihi equidem Animo reputanti.

1. Discretum Genus longe minus esse periculofum quam Confluens.

2. Omnia in discreto, quò sudor manat copiosus, in vado esse sæpissime; plerosque eorum qui ab hoc morbo occubere morti, Die 8<sup>o</sup>, illo nempe obiisse, in quo sudor vel sponte sua vel Remediorum ope evanescit.

3. Sudorem in Confluenti minus esse copiosum; symptomata vero graviora & quæ diutius urgent; Diarrhæam (quæ nunquam in discreto accidit) Eruptionem præcedere, unde minor per Poros Cutis Evacuatio \*, & per Consequens major Cutis ficcitas una cum majori sanguini Resistencia; difficiliorem esse Pustularum Eruptionem, quam brevi post semper sequitur in Adultis Salivatio, & in Infantibus sæpenumero Diarrhæa; plerosque eorum qui moriuntur fatalem Diem undecimum habere, illum nempe in quo Salivatio desinit; omnem Salutis spem in Exanthematum Paucitate stare, Discrimen in eorundem multitudine<sup>n</sup>; & eo minus esse Discrimen, quo rariores in Facie comparuerint Pustulæ<sup>o</sup> (nam

B 3

quo

m. v. 95.

n. v. p. 321.

o. v. p. 100.

\* v. Quincys

Sanctorius Sect. I. Aphor. 5. 12, 13. &amp;c. cum Explan.

quo magis erumpitur, eo magis Cutis tenditur, & quo ten-  
 sior Cutis, eo major sanguini Resistentia: sanguis vero sem-  
 per fluet quo minor est Resistentia; ergo, si Facies plurimis  
 Pustulis obsessa sit, sanguis rapidissimo Cursu ad Cerebrum  
 tendet, unde Dolor magnus, Secretio mala, & horrenda  
 symptomata.

Et hinc licet conijcere Causam, quamobrem Res sæpe in  
 lubrico est, cum plurimæ Pustulæ obsideant Pectus: sanguis  
 enim ab eis admodum obstruetur, unde brevi Tempore op-  
 pressio Cordis, difficilis Respiratio, & per consequens Malo-  
 rum Ilias); plurima horum terribilium symptomatum nun-  
 quam vel certe raro admodum in discretis, ubi in sudores quasi  
 dissolvitur æger; & multo feliciter Infantibus aliisque etiam  
 quibus Cutis laxa est & dilatabilis, quam omnibus aliis, seni-  
 bus vel adultis, quibus Cutis firmior est & siccior, evenire;  
 & denique Effectus sanguinis Circulationis impeditæ Perspi-  
 rationis ante explicatos p; Mihi inquam hæc & similia Ani-  
 mo reputanti quam clarissime demonstratur, nihil æque in  
 hoc morbo ægrorum Saluti consulere posse, ac copiosam Cu-  
 tis Relaxationem; sive id per Sudores (quos ipsa ut aiunt na-  
 tura præferre & indicare videtur), sive per Balnea & Fri-  
 ctiones (de quibus illico fusius) confit.

### §. XI.

Sed quid audio? . . . Bona verba! nonne Clariss. Syden-  
 hamus affirmavit, sudores non absque ingenti Periculo pro-  
 moveri posse?

Fateor; sed siste tandem: audi & alteram Partem.

Sydenhamus dixit, a

Neque etiam exigo, ut in eodem Loco semper jaceat, nem-  
 pe ne sudores erumpant, quos ego tum Rationibus supra al-  
 latis, tum ipsa Experientia, fretus fidenter affirmo non abs-  
 que ingenti Periculo promoveri posse.

Idem vero Sydenhamus nonne alibi dixit (quale etiam in  
 hac

hac Differtatione observavi \*)

Sapientissimum Rerum omnium Conditorem Statoremque universa tam exquisito ordine absolvisse, ut sicuti omnia naturæ Mala ad concinnandam totius operis Harmoniam egregie conspirent; ita eorum singula divino quodam Artificio, propriæ Essentiæ quasi Intertexto donantur, quo subjectum eadem Mala a se amoliantur; quod in morborum quam plurimum Acutorum Exitu naturali satis cernitur, uti etiam in Propensionibus istis, quæ tales comitantur morbos, & ad ægrum ab illa Pernicie liberandum viam struunt, quam Ars adfert, quoties in Fatuos cadit.

Sed in discreto Genere, sudor manat copiosus, si natura sibi permittatur, & Res semper vel sæpissime saltem omni prorsus Periculo vacat; sudore autem cessante, omnia statim in Exitium ruunt. u

In Confluenti vero, minor est in sudores Propensio, symptomata longe graviora, & nunquam non periclitatur magis, quam in altera specie in qua in sudores quasi dissolvitur æger.

Sudores igitur quos reprehendit Sydenhamus, ab illis certe, quorum ope Natura sibi permissa negotium suum absolvit, admodum discrepant. Si vero ab illis discrepant, cujusmodi sunt quæso? Dicam.

Observaverat ille.

1. Ægros qui discretis laborabant, cum satis prompte sudoribus diffuerent, ac sibi omnia bona promitterent, si Morbi Virus per Cutis Poros hoc Pacto amandaverint, hanc methodum diligenter ideò persecutos esse, tum Remediis Cardiacis intro assumptis, tum Regimine calidiori adhibito; tandem vero Die 8<sup>o</sup> flaccida apparuit Facies & albida Interstitia, licet interim rubidæ erant Pustulæ, atque etiam post ægri mortem elevata.

Qui ad hunc usque Diem nullo Negotio manaverat sudor,  
jam

jam subito suaque sponte evanescere solet, neque ullis Remediis Cardiacis vel etiam calidissimis revocari posset. æger interim Phrenitide corripitur &c. <sup>w</sup>

2. Ægris qui confluentibus laborabant omnia ab hoc calidiori Regimine deterius cessisse, quam qui discretis. <sup>x</sup>

Hinc puto sudores, quos evitare vel suppressere suadet, istiusmodi sunt qui a calidiori Regimine excitari solent. Huc spectant plurimæ ejus sententiæ <sup>y</sup>, nec equidem sine summo Jure: sanguis enim in hoc morbo sua sponte longe majori quam in naturali statu velocitate movetur; & quo major velocitas, eo majus in Canalibus minimis semper imminet Occlusionis Periculum, quæ quidem ex eo validior fiet, quo vis Fluxus fuerit intensior. <sup>z</sup> Calida autem medicamenta sanguinis Velocitatem magnopere augent: ergo in omnibus morbis a nimia sanguinis velocitate ortis, iisque etiam qui ideo magis periculosi redduntur, valde nocent; ergo in varioloso morbo semper vitanda sunt, utpote quæ maximum ægris Periculum adferunt; idque credo non tam a quibusdam Particulis ad Elevationem & Intumescentiam Faciei necessariis eliminandis <sup>a</sup>, quam a Fluidis in Corpore omnibus adeo commiscendis, ut Secretio (quæ tanti est in Oeconomia Animalis) nequaquam rite perfici possit; unde universa Corporis Inquietudo & innumera Mala; & hinc fortasse magna equidem Facilitate explicetur Ratio, Mictus sanguinis vel violentæ ejus Pulmonibus Eruptio, quid indubie mortem prænunciat ægris. <sup>b</sup>

Verumenimvero fatendum est, Sententiam ejus de hac Re satis esse obscuram in nonnullis locis; utcunque clara sit in aliis. Sed ulterior hujus Disquisitio, ne Dissertationem hanc (jamjam satis amplam) ad majorem quam convenit Magnitudinem eveheret, in Præsentia differenda est, postea fortasse, prout suppetat Occasio, renovanda.

§.

w. v. p. 102.

x. v. p. 115.

y. v. p. 103. 105. 107. 110.

111. &c.

z. v. Bellini de Motu Cord. Pr. 26.

a. v. p. 102.

b. v. p. 122.

## §. XII.

Quoad Succedentia, cum impeditæ Perspirationis; Abforptûs Puris in venas, variique ejus in diversas Corporis partes delapsus<sup>c</sup>, Effectus sint; ex iis puto quæ superius observavi, facillime intelligantur. Nihil igitur restat denique, nisi quod ultimam hujus Dissertationis Partem cogitemus, illam nempe, quæ medendi Methodum ex prædictis datis deducendam spectat; & hæc profecto præcipua Medicinæ pars est, quia non intersit (juxta Celsum<sup>d</sup>) quid morbum faciat, sed quid tollat.

## §. XIII.

Quæcunque sit Physica hujus Morbi Causa, cum Effectus sint, motus sanguinis violentus, & quarundam per totum Corpus Pustularum Eruptio; & cum omnis Salutis spes in Pustularum seu Exanthematum Paucitate constet; quodcunque Remedium Motum sanguinis violentum cohibere, & eruptiones Pustulas vel penitus suppressere, vel Eruptionem ipsam reddere faciliorem valet, maximo omnibus ægris variolosis Emolumento necesse erit: ergo Indicata sunt hæc planè duo; nempe

1. Motum Sanguinis violentum cohibere: &

2. Eruptionem Pustularum, si potis est, prævenire: ex his enim Febris ipsa secundaria & omnia quotquot sunt succedentia mala, velut a Causa proveniunt; sublata igitur Causa, tollentur etiam Effectus. Quod si præveniri nequit, deinde summa Ope nitendum est, ut Eruptio sit quam facillime expedita: Hæc enim quo minus obstruitur, eo minus absumentur vires; & quo magis constant vires, eo semper minus ægris Periculum.

## §. XIV.

Vena in omni morbo secanda (inquit Bellinus<sup>e</sup>), in quo aut minuenda. Quantitas, aut augenda Velocitas sanguinis, aut refrigerandum aut humectandum aut aliquid hærens va-  
C
fis

c. v. Boerh. Aph. §. 1400. d. v. Cels. Præf. ad lib. I. p. 10.  
 e. v. Prop. 6. de Miss. Sang.

sis dimovendum atque abripiendum, aut danda occasio particulis ex quibus sanguis componitur, ut intime dimoveantur & ipsum sanguinem mutant. Missio autem sanguinis præcipue dimovet, atque abripit è summis Canaliculis capillaribus quicquid eis intime hæret, dummodo vis illius Cohæſionis minor sit momento velocitatis sanguinis; quod si major fuerit, missio sanguinis solum refrigerabit atque humectabit, ex quo demum fieri poterit, ut quicquid hæret summis vasis dimoveatur atque abripiatur f.

Convenit etiam in iis omnibus Febris, in quibus, aut ipsa ex se Febris Materies, aut Calor qui per Febrim producitur, Naturæ vi & tutis aliis Artis Præſidiis ad naturalem statum redigi non potest. Quod si Febres graviore fuerint & sine Accessionibus manifestis (cujusmodi sunt variolosæ Febres, saltem ante Eruptionem) proderit Arterias etiam capillares movere per Hirudines, Scarificationes, Fomenta, Balnea, Cucurbitulas ficas, & hujusmodi &c. g; quorum omnium Operationes præfatus Medicus magna Arte explicuit in Propositione sua octava:

Quod si Venæsectio rite celebrari nequit, substituuntur tuto Frictiones, Semicupia, & quæ in Prop. sua nona legantur; operationes quorum explicuit Idem in Tractatibus suis de Stimulis & Medicamentis, opere certe Cedro digno.

Cùm ex hisce rite (prout occasio postulet) administratis, Quantitas sanguinis minuetur, & velocitas ejus æquabilior fiet; & cùm ex his etiam, si quæ sint, solventur obstructions, & talis sanguini Fluiditatis Gradus, qualis ad secretiones varias optime convenit, conciliabitur; omnia equidem ad motum sanguinis violentum requisita producentur; ergo cohibebitur motus, vel quod idem est, prosternetur Febris.

### §. XV.

Pustularum Eruptio (an ab Humore quodam vitioso in Lympha contento juxta Clariss. Helvetium<sup>h</sup>; an a sanguine solum

f. v. Pr. 5. ejusd. g. v. Pr. 10. ejusdem. h. v. Idée Generale, de l'æconom. Animal. & observ. sur la petite Verole.

lum violentissime per vasa agitato ; unde Distensio magna, obstructio frequens, solutio continui, nullus vel admodum parvus in Materia extravasata motus, Cohæsiō varia, & tandem ille qui purulentus dicitur status) hæc inquam Cutis Relaxatione, sive per Inunctiones fit, sive per Balnea tepida Frictionibus moderatis, & omnibus illis quæ Perspirationem movent copiosam, si non omnino impediatur, admodum saltem facilitetur<sup>i</sup>; hæc enim diducunt Poros, tenuia acriaque Excrementa, quæ subter Cutem occuluntur, foras digerunt; quæ vehementius inaruerunt membra, humectant; quæ ob- rigrere, emolliunt; quæ tensa fuere, relaxant<sup>k</sup>; eodem- que Tempore Fluida attenuant, Viribus interim ægri quam minime deficientibus.

Huc spectant Remedia, quæ ad expellendam ex Corporis superficie Pestilentiam commendavit Rhazes<sup>l</sup>; Fotus nempe ægri Indumentis, & Potatio Aq. frigida; nam frigida (inquit) si paulatim absorbeatur, Sudorem elicit & adjuvat foras extrudere superflua ad Corporis superficiem. Inde Aquam ferventem immittendo Ollis puris, adhibe unam Ollam ante & alteram pone, ut reducatur Vapor per totum Corpus præter solam Faciem, ut rarescat Corpus; atque ita difflet superfluitas: flare autem expedit suavem Aerem & frigidum. Ita sane Curam ægritudinis habebimus, nec solum facile extrudentur superflua, sed etiam vires custodies; nec est invenire aliud melius & commodius hac Diligentia. Expedit etiam refricari & calefieri Aq. calida. sic Rhazes.

Huc etiam spectant, quæ hisce addidit Alfaharavius<sup>m</sup>; nempe fricetur Corpus levi Fricatione cum Manibus, & Panni in Aq. ferventi madefacti imponantur. Et si non potest transire (Pustularum sc. Eruptio) absque illis, bibat Patiens de Aq. calida, una Hora post aliam; vel coquatur in ea de Sem. Fænic. & de Sem. Apii & bibat de ea;

C 2

vel

i. v. Cels. lib. 5. c. 28. §. 15. de Pust. Gen. k. p. Lomm. Comm. p. 19. 80. 81. 140. l. v. Lib. ejus de Pestil. c. 7. latine redd. p. G. Valla. m. v. ejus Liber-Practice Particula 3. de Variolis.

vel ꝛ. Fic: virid. N°. xxx. Passul. mundat. ꝛxx. bulliant suaviter in Aq. ꝛiij, donec liqueat, & postea bibat ex illa Aq. Patiens ꝛv ter; & regatur, & involvatur Pannis madefactis in Aq. calida.

### §. XVI.

Hujusmodi Plura nullo equidem Negotio adjicere possem, si vel aptum duxi vel necessarium. Sed in Re plane Philosophica non tam quod alii dixerint aut scripserint, quam quod varia Rerum inter sese comparata Phænomena docent; quærendum est & observandum opinor: & si ex hisce Phænomenis ad hunc Modum pensitatis, Ratiocinium quodvis ad nostrum Commodum vel aliorum deducere liceat, nobis sit & omnibus Saluti.

Huic Regulæ insistens, medendi Methodum deducere conatus sum; Methodum fateor a vulgari quidem longe diversam, nec puto Injuria; in hac quippe, Teste clariss. Viro<sup>n</sup>, nullus nisi sponte emergit: dum enim Naturam ut ajunt persequi, viresque ægri refocillare incumbunt Medici, velocitatem sanguinis cum Medicamentis Diaphoreticis tum etiam Cardiacis magnopere augent; unde æger magis magisque calefcit, & ad Incitas usque redactus.

Si vero relaxetur Cutis, adeo ut Materia Perspirabilis una cum extravasata illa Materia quæ in Pustulas abit, facile & sine Impedimento effluat, forte fortuna evanescerent Pustulæ; & per Consequens, omnia quæ in Genere subsequuntur Mala; Febris nempe acuta, Incontinentia magna, Cacoethæ, Ulcera, Cicatrices fœdæ, & morbosa Viscera; vel saltem Gradus ille Caloris ad harum Expulsionem promovendam accommodatissimus, quem naturalem esse debere asserit Sydenhamus<sup>o</sup>; atque hujusmodi, quæ carnosarum Partium Temperiei convenit; quique hunc excedit aut ab eodem deficit, utrinque periculosus est; hic inquam præfata Methodo facillime conciliari posset.

No-



## §. XVII.

Notandum insuper, Variolis interiora Corporis occupantibus, Rem esse in ancipiti ægris, ut inquit Bellinus p.

In Confesso est Eruptionem in Visceribus semper esse admodum periculosam: non vero ut arguit materiem maxime contumacem, quemadmodum clariss. Vir. judicasse videtur, sed ut arguit (opinor) magnam in superficie Corporis Resistentiam; unde Motus debilis, Separatio tarda, & Obstructio magna; & hinc violentior ad Interiora motus, major Membranarum Distensio, & tandem copiosa Pustularum Eruptio: Cute autem relaxata, minor erit Resistentia; unde major & copiosior ad Extremitates Fluxio, minor in interiora Pressio, melior & tutior Fluidorum Circulatio.

## §. XVIII.

Juvenem novi qui paucos abhinc Annos Variolis confluentibus laborabat. ab Initio Morbi ad Tempus usque Eruptionis nihil accidit inusitatum: appropinquante autem Maturatione invasit Febris acuta, Inquietudo ingens, una cum Phrenitide dira aliisque ejusmodi, adeo ut apud Medicum ejus, clarum sane exercitatumque, actum sit de vita ægri.

Rebus sic stantibus, Juvenis Mater Curam suscepit; Pustulas omnes Forfice secavit deterfitque Sordēs. Symptomata extemplo remittebant; Mentē constabat æger, & brevi Tempore optime convalescebat; nec Foveas habet, nisi admodum paucas, easque superficiales.

In hoc Casu hæc sunt maxime observanda: nempe.

1. Ab Ingressu morbi ad Tempus usque Eruptionis bene habuit.

2. Invasit Febris, Delirium &c. circa Tempus Maturationis.

3. Pustularum Sectionem & Expurgationem Puris, placida Quies & inexpectata Salus subsecuta sunt.

Quomodo omnia Febris Symptomata absque Fermenti ope venenati & Spirituum animalium Calore vel Colluctatione (quæ apud plurimos admodum valent) secundum Leges Me-

C 3

cha

chanicas explicari possint, ex jamjam observatis satis, puto, appareat. Reliquum est igitur, ut medendi Methodum diligentius perpendamus.

### §. XIX.

Curam Juvenis per Pustularum Sectionem & Expurgationem Puris effecit Opifex, nec equidem miror. Vires enim ægri valde erant exhaustæ, & Circulatio sanguinis Pondere incumbente & Obstructione materiæ perspirabilis plurimum impedita; nihil igitur adeo subvenire potuit, ut Ponderis Diminutio ac Cutis Relaxatio. Hæc fortasse per Pustularum Sectionem melius, quam per calidam Immersionem, vel ullam aliam Methodum conciliari possent: Quamvis enim abunde liquet, calidam Immersionem relaxare Cutem & Perspirationem promovere, hoc Tempore Juvenis fortasse ante morbo succubisset, quàm tanta esset Relaxatio, quanta ad Materiam purulentam transmittendam sufficeret. Æger autem si in Aq. calida sub Initium morbi vel sub Pustularum Eruptionis (tum enim materia extravasata tenuis est) Immersionem vel potius Inseffionem q, vel quam Rhazes & Alsaharavius observaverant Methodum, una cum Frictione moderata lenique Unctione r usurpaverat, Pustulæ forsan evanescerent omnes, & materia (ut aiunt) morbifica per Poros Cutis tota esset transmissa, quam celerrime quidem a sanguine separari potuit.

Huic (Aq. sc. calidæ) quæ apud omnes ad unum Veteres in Medicina bene audit, an illorum hujus ac aliorum, qui Nepotes suos sævissime infestarent, referri debet Morborum Ignorantia, aliis submitto. Nihil certe in omnibus morbis cutaneis, & in omnibus aliis obstructione materiæ Perspirabilis vel oriundis vel saltem auctis, æque convenit ac iterata nunc in calida nunc in frigida, prout occasio urget, Immersio s: & dum in Balneo manent (calidum volo) vel Horæ spatium vel dimidiam ante Immersionem Horam, Hau-

stus

q. v. Cels. Lib. 2. c. 17.      r. v. Cels. Lib. 2. c. 14. p. 88.  
s. v. Lomm. Comm. p. 117-124.

stus lenis Diaphoreticus si copiosus deglutiatur, quicquid Com-  
modi ex tam nobili, tam placido, & tam insigniter utili Reme-  
dio expectare liceat, nullus dubito quin acciperent omnes.

## §. XX.

Et sic tandem præcipuis hujus morbi Phænomenis expli-  
catis, Methodoque medendi ex illis pariter deducta, elician-  
tur Causæ (opinor) propter quas tam multis Medicis, iisque  
exercitatis in hujus morbi Tractatione tam infeliciter cessit.  
Antequam vero ad Umbilicum duco Dissertationem, illis pri-  
mum satisfacere volo, qui fortasse ægre ferant, quod per  
totam hanc medendi Methodum, de clarissimo Sydenhamo  
ne verbum quidem occurrit.

Intelligentia Humana cum Angustis Terminis propter infi-  
nitam illam Rerum, in quibus tota est, varietatem circumscri-  
bitur, nihil quicquam plene aut perfecte efficere potest; un-  
de Errores sunt etiam eruditissimis Viris & naturales & (ab-  
sit Invidia verbo) necessarii. Sed quo magis Phænomena Re-  
rum attendimus, eo minus hallucinabimur: Judicium enim  
Humanum ex Apparentiis Rerum ipso Tempore Observatio-  
nis nunquam non formatur; & Apparentiæ ipsæ a Creatoris  
Instituti, & illa (quoad Objecta) in qua sumus Positione om-  
nino pendent: ergo ingenua Cogitatio omnibus est in Phi-  
losophicis saltem Disquisitionibus, indulgenda; utpote quæ  
non modo Utilis est sed etiam ad Veritatem attingendam ne-  
cessaria.

Hisce Argumentis Animo persuasus, eundem modum in  
hac Dissertatione observare studui: nimirum Phænomena  
morbi inter sese comparavi, & quæ maximi momenti visa  
sunt, ea præ aliis trutinavi; & ex omnibus his ita dispositis,  
medendi Methodum, qua potui Honestate, collegi; eam-  
que deductam gratis Tibi, B. L. qualemcumque dico; sed  
ne obliviscaris tandem, quod clariss. Lommius bene obser-  
vavit<sup>u</sup>, scrutandæ sine Ambitione Veritatis Studio, recta di-  
centi Fidem, erranti Veniam deberi.

Mi-

Mihi fateor simplex est & regularis, & quæ Phænomenis morbi ( unde singula Indicatio ad uniuscujusque morbi Curationem semper accipi debet ) penitus congruit; idque adeo equidem, ut firmiter credo, Variolosum Morbum ( si Diis placet ) hac Methodo tractatum, utcunque gravis terribilisve fuerit, non minus tutum levemque fieri posse, quam pluri- mi alii, Insultus quorum vix ac ne vix reformidant ægri.

Si hæc Tibi æque rationalis ac Mihi videtur, & Tibi etiam omnino profit; sin magis placet vel Sydenhami nostri vel aliorum Methodus, & alia etiam Tibi æque profit: Me- dico enim qui in Theoria Artis suæ bene versatus est, ad cu- randos morbos raro admodum deficient vires; omnibus au- tem inexpertis, Praxis sua in optimo Statu lubrica est; in contrario qualis, judicent omnes.

F I N I S.